

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Paciencia q cum fonte primo

Tribus modis uirtus paciencie exerceri solet: alia namque sunt que a Deo, alia que ab antiquo aduersario, alia que a proximo sustinemus. A proximo namque persecuciones dampna et contumelias sustinemus, ab antiquo aduersario temptamenta, a Deo autem flagella tolleramus. Sed in hiis omnibus modis uigilanti oculo semet ipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra temptamenta aduersarii seducatur ad delectationem uel consensum delicti, ne contra flagella opificis prouat ad excessum murmuracionis.

Gregorius super Ezechielem omelia VII.

Sciendum praeterea est quod tribus modis uirtus patientiae exerceri solet. Alia namque sunt quae a Deo, alia quae ab antiquo aduersario, alia quae a proximo sustinemus. A proximo namque persecuciones, damna et contumelias; ab antiquo enim aduersario temptamenta; a Deo autem flagella toleramus. Sed in omnibus tribus his modis uigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra temptamenta aduersarii seducatur ad delectationem uel consensum delicti, ne contra flagella opificis ad excessum prouat murmuracionis.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2, 35, 9 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.329, ll.231-240).